

Verdobio, Rubaldus Bursa de Alice, Stephanus de Lintignano, Petrus de Lintignano, Anricus Vetus, Guido Carena de Lanerio, omnes isti fecerunt donationem datum, & investituram Rufino de Bellono consuli Alexandriae nomine communis Alexandriae, & Vermo Sclazio de Alice (2), & Alberto Moicio de Lanerio, & Oglerio (3) de Calamandrana consulibus, de Aquexana suo nomine, & omnium hominum de Aquexana, qui sunt cives Alexandriae, vel erunt de toto hoc, quod habent, quod sit cortile (4) loci, vel forcia renunciando omni juri, quo aliquo modo possent se tueri in scriptis, & sine scriptis, & omne jus, & actiones reales, & personales, utiles, & directas sibi competentes nomine cortilium, & fortiarum, sive castrorum. Et si de his cortilibus, fortis, & castellis aliquid alicui alienaverint aliquo modo venditione, donatione, vel quovis alio modo, nisi communi Alexandriae, vel consortibus, qui sint de concordia Alexandriae, ut possint Commune Alexandriae, & confortes Aquexanae ea capere, tenere, petere, & defendere ab obtinentibus, & possidentibus; & infrascriptum Rufinum de Bellono nomine Communis Alexandriae, & infrascriptos Vermum Sclaxium, Albertum Moicium, & Oglerium Ratum consules Aquexanae suo nomine, & consortium, qui sunt de concordia Alexandriae, in locum suum ponunt, & procuratores in rem suam faciunt ad agendum, excipiendum, petendum, & defendendum, si extra id, quod scriptum est, fecerint, & isti consules eodem modo omni suo juri, quo se tueri possent renunciantes, fecerunt donationem, & datum investituram Rufino de Bellono consuli Alexandriae nomine communis Alexandriae, & nomine omnium consortium de Aquexana, qui sunt de concordia Alexandriae de omni suo cortili forcia, & castello, & eodem modo in suum locum posuerunt, & procuratorem in rem suam fecerunt, & ibi omnes infrascripti quisque manu propria facta donatione, & investitura, & dato in manibus infrascripti consulis Alexandriae scilicet Rufini de Bellono, & infrascriptorum consulum de Aquexana, & consortium, qui sunt de concordia Alexandriae, ut supra legitur, promisit, & supra sancta Dei Evangelia juravit, quod nemini alienabit cortile, vel forciam loci, vel locum nisi communi Alexandriae, vel consorti, qui sit de societate Alexandriae sine parabola Potestatis, vel consulum, & totius consilii Alexandriae per campanam collecti, & sine parabola Potestatis, vel consulum Aquexanae, & inde omnes infrascriptum publicum instrumentum fieri praeceperunt. Interfuerunt testes rogati Arlotus de Lanerio, Arnaldus de Maxio, Anfaldus de Bubio, Anricus Ferrus, Angelerius Lavaxana.

Ego Otto Notarius Sacri Palatii autenticum hujus instrumenti vidi ec. Ego Petrus, qui dicor Ferrarius Notarius Sac. Pal. ec. Ego Vermus Notarius Sac. Pal. ec.

(1) *Vetustissima haec Ecclesia nunc est in territorio Niciae Montisferrati, ac Parochiae S. Syri ejusdem civitatis antiquitus aggregata.* (2) *In exemplari quondam ab Turri I. C. Aliano* (3) *Rato.* (4) *Contile, & ita deinceps.*

Conventiones Alexandrinorum cum communi, & negotiatoribus Mediolani circa viarum custodiam.

MCCIII.

116

Anno Dominicae Incarnationis MCCIII., indictione 6., die lunae 10. intrantis februarii in Alexandria, in Ecclesia majori S. Petri, & in consilio ibi per campanam collecto consules Alexandriae, scilicet D. Ubertus de Foro, D. Ubertus Natta (1) promiserunt D. Petro de Petrasancta, & D. Leonardo de Cruce Ambaxiatoribus Communis Mediolani, & D. Albertono Avanzono consuli negotiationis Mediolani, & Ambaxiatori Communis Mediolani stipulantibus nomine communis, & negotiatorum Mediolani, & nomine infra-scriptarum civitatum, quod custodient, & salyabunt in rebus, & personis stratum usque a poderio Papiæ, & usque in poderium Gavii viam scilicet inter Papiam, & Gavium, & per aquam, & per terram capiendū pro pedagio uniuscujusque somae, quae sit hominis, vel hominum istarum civitatum in eisdem civitatibus, vel earum jurisdictionibus habitantium per Alexandriam transeuntis, & per stratum secundum quod fuerit statutum, tenendis (2) tantum denariis 12. Papiensibus omnibus aliis dactis, ac pedagis remotis, pro quo pedagio promiserunt jam dicti consules nomine Communis Alexandriae praesentibus Ambaxiatoribus nomine Communis jam dictarum civitatum stipulantibus emendare, & refarcire omne damnum, quod in strata alicui in persona, vel rebus a grassatoribus, vel raptoribus uni, vel pluribus constaret esse datum usque a poderio Papiæ usque in poderium Gavii, & propterea reficere pontes, vel portus, per quos strata bene valeat pertransire. Intelligitur autem strata esse longa unius milliarii ab utraque parte. Liceat vero strata, sive negotiatoribus quando voluerint, ex quo in civitatem Alexandriae intraverint transire, per quem pontem voluerint, videlicet Tanari, vel Burmiæ, dum tamen omnes in uno tempore teneant unam stratum, sicut fuit praedictum a negotiatoribus Communis Mediolani, eo tamen salvo quod super haec statuerint voluntate utriusque partis in adiungendo, vel in minuendo. Et inde isti consules, vel Ambaxiatores duas cartas fieri ec.

(1) *Vide reliquos a Ghilino in annal. Alex. ad hunc ann. nominatos.* (2) *Locus mendozus forte solvendo tantum denarios.*

Deditio Dominorum de Viginti de suo castro Reipublicae Alexandrinae, & consortibus de Aquexana.

MCCIII.

117

Anno MCCIII. die lunae 10. intrantis februarii in castro de Viginti Bosso Traversagnus, Anselmus Traversagnus, Bajamontus Marchisius, Nicolaus Rubeus, Ascherius, Anricus Pulzonus, Arnaldus Burgognus, Roglerius Vitalis, Muruellus eodem modo omni suo juri renunciantes, quo se tueri possent, fecerunt donationem, & investituram Rufino de Bellono consuli Alexandriae nomine Com-